DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXV. FEBRVARII.

M. PETRO DE BEAVRAINS, Doctore Medico, Præſide.

An Oleum Butyro ſalubrius? 1037.

NVDVS & inermis infans tanquam & naufragio, a fletu, & lacrymis vitam auſpicatur mortalem; intra propriam compoſitionem & vſum cauſarum externarum habet cauſam vitæ & mortis, ex corruptis principijs vitæ periodum præfixum terminum habet, ſed aduerſus cauſas corrumpentes contrarias iuuatur ac producitur periodus ab arte & ipſo vſu viuendi. Non omnis forma ſubſtantialis determinat ſibi durationem, ſed perpetuitatem deſiderat, dum natura ſui eſt diligens, aliàs eſſet mutare principia naturæ, quæ nullam in nobis partem vacuam tutelâ reliquit: Poteſt impediri reſolutio humidi aut beneficio aeris, alimenti, aut rebus alijs non naturalibus; ſic poteſt vita mutari in meliorem ſtatum, ac vltra periodum abſolutam prolongari, ſic frugalitas producit ſenectutem, ſic ſenectus immortalitatis pharmaco depelli poteſt, nec omne quod ex contrarijs conſtat eſt corruptibile. Nec tollit artis exercitium Dei præſcientia; ſi contemptores artis citiùs diem obeunt, cur eius obſeruatores fati neceſſitatem non retardabunt?

SENECTVS eſt naturalis corruptio ſenſim & paulatim, via ad mortem, eſt corruptio virtutis conſeruatiuæ & contra finem naturalem. Multa ſenem circumueniunt incommoda, quæ vitabit ſi ſelectum habeat modum viuendi: pane primario ex polline puriſſimæ farinæ, conciſis minutim carnibus veſcatur, pauca illi apponantur fercula qui paucis fomentis opus habet: ſcitamenta & cupediæ quibus irritetur orexis ipſi quandoque erunt in vſu, largiùs coenandum quâm prandendum; Inter epulas vino fuluo, vetere, odorato, aduerſùs ſenectutis duritiem vtendum; Iuſcula pinguia laudatarum carnium promptè in ſanguinem tranſeunt; Mel ſenibus illæſam ſenectutem producit; pro legumentis cicere ſalſuginoſo arietino pridie macerato: pro bellarijs ficubus & paſſulis vti licet, lac obſtructionum & calculi parentem fugiat, caſeus mediæ ætatis indulgeri poteſt, laborem quàm gulam, crura quàm ventrem oportet eſſet potiora: fœdiſſimam ventris cloacam vbi venter ſuppreſſus parum reddit prolue: A cœnâ ſatis eſt ſurrectio, aut curſus rectus, flexus, aut reuertens, vnde nulla ſit fatigatio; hæc ſunt ſenum adminicula defatigatum humidum reſarcientia vt placidè vitæ ſtadium excurrat.

CERTA menſura cibi ſumendi ex naturali appetentia & coctione ſumenda. Stomachus delectationis & triſtitiæ princeps cum ægrotat, eſcas odit & abominatur. Voluptatem pariunt bona coctio, carnium incrementum, & floridus corporis color. Fames eſt certiſſimus & fidus nuncius noui cibi ingerendi, vnde partium conſtrictio. Tres cauſæ in fame naturali Attractio, conſtrictio, & ſenſus oris ventriculi; appetentia quocumque horum deficiente proſternitur. Intemperies oris ventriculi cibi appetentiam deijcit & humor qui aut ſenſum oris hebetat, aut conſtrictionem partium eius prohibet: cùm caliditas cum humiditate cauſa eſt dejectæ appetentiæ, cappares cum aceto conditæ, oliuæ iuuant ſi cum ſiccitate lactuca, cucumeres, Melones, ſi ob defectum conſtrictionis ab humore pituitoſo diu ventriculo inſidente, ac eius ſuperficiem læuem reddente, abſinthium ad diſcutienda faſtidia efficax; ſi ab humore crudo diu inhærente ventriculi tunicis, Allium cum ſucco vuæ acerbæ, cœpa ventriculum mordent non ſecus ac ſinapi cum pane aceto & pipere.

DVO ſunt ciborum obſonia Butyrum & oleum Butyrum πικέλιον lactis cremor, Belgarum & Septentrionalium cibus dum olei penuriâ laborant, & liberaliore ſale condiunt, bilioſum audit non iniuriâ eius materia eadem ac flauæ bilis ſanguis elaboratus qui in porraceam aut vitellinam billem promptè faceſcit, parte ſui pinguiore & tenuiſſimâ, flammam promptè concipit. In multo ſanguine plurimum eſt elaborati ſuperflui, excrementum coctum tranſit in pingue: ſemen ſanguis, & lac nullam ex ſe φυλακὴν habent niſi proprio loco excipiantur; lactis φυλακὴ ſtomachus purus & exceſſus temperamenti expers; frigidis & calidis temperaturis in habitu & temperamento nocet, dum coquitur ſuſpenſa hypocondria attolit, & flatibus diſtendit: cum itaque malè afficiat ſanos, quid mirum ſi cauſarios deterius afficiet, in his citò alteratur, obeſt & eſt venenum. Butyrum lacte iniquius. Ingenioſa gula eſt, multos illexit in diſpendium eius dulcedo, ne dicam fatuitas etiamſi fuco ſalis irritetur, ſuâ ſubſtantiâ fibras ſtomachi frangit, orexim ſopitam reddit, σπατάλην inducit, læuorem habet facilem, nec ſtomachi, immerentis peccato id fit, in culpa eſt butyrum calidum temperamento, conſiſtentiâ craſſâ, pingui, & vnctuoſâ, qualitate inflammabile, ex ſanguine bubulo, qui ægrè coquitur, craſſo & melancholico: O in quantam cladem ſe conijcit qui confertum butyro ventrem habet.

OLEVM magnum eſt obſonium, atque haud ſcio an maximum, imputreſcibile bimum aut trimum, in æquilibrio quatuor qualitatum, calido natiuo oleoſo & pingui analogum, veri perſimile, ſubſtantia eius ex partibus ſubtilibus; aereis, craſſis, terreſtribus, & aquoſis, viſcoſis, tenacibus, quibus vrinas mouet, arcet vinolentiam, tranquillitatem & pacem partibus tribuit: præfertur glaucinum aut muſtum. Differunt olea ratione temporis aut artificij. Omphacinum frigidum & adſtringens tonum ventris reddit. Quod exprimitur pedibus temperatius, quod torculari expreſſum calidius, interdum cum teſta oliuarum, & inde earum medullæ calidæ & amaræ oleo miſcentur, ratione temporis nouum, medium, antiquum: Albæ oliuæ eliguntur, quæ mediæ ſunt inter virides & caducas. Piſces oleo incocti friabiliores, butyro molliores; non quærimus adijcialem epularum magnificentiam, latrantem ſtomachum & iratum placabit offa panis cum oleo pauco aceto & ſale: cùm ob orgaſmum & catullitionem a vernali tepore, tum ob præcedentis hiemis & ſaturnaliorum diætam ex legem, parcè & frugaliter veſci debet. Caſtitatis oleum eſt ſymbolum, nec veneris incentiuum. Sic Sacra tridenti Synodus promulgauit vt omnes carne, ouis; butyro per totam quadrageſimam abſtineant, aſt eo quod ex olea (cum lignum) vterentur, & cœna tibi erit ſine ſanguine, & minus ignitum butyro oleum.

Ergo oleum Butyro ſalubrius.



Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS CHARTIER, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LV.